DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

DYSENTERIA

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE
DYSENTERIA
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS MURRAY McLACHLAN,
SCOTUS,
CHIRURGUS,
ET
NUPER LEGIONIS XCI CHIR. VICAR.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

ARCHIBALDO CAMPBELL,

DE *DRIMSYNIE*,

ARMIGERO,

IN COMITATU ARGULIÆ,

OB

BENEVOLENTIAM, MUNIFICENTIAM, ET HOSPITALITATEM,

CÆTERASQUE VIRTUTES,

QUÆ

HUMANITATEM

CONDECORANT ET NOBILITANT,

ÆQUE PAUPERIBUS, LOCUPLETESQUE ÆQUE

CARO ET ACCEPTO;

HOC OPUSCULUM,

PEREXIGUUM

ANIMI BENEFICIORUM MULTORUM MEMORIS

SIGNUM,

EX

ANIMO

D. D. D.QUE

AUCTOR.

ROBERTO DOUGLAS, ARMIGERO,

NUPER LEGIONIS XCI CHIRURGO,

CUJUS PERITIAM IN MORBIS CURANDIS,

TAM FREQUENS MIHI FUIT OCCASIO VIDENDI

DUM, PRO DECEM ANNIS,

MEDICINAM UNA FECIMUS;

ET CUJUS

BENEFICIUM ET BENIGNITATEM

MULTI SUNT EXPERTI,

G. M. McLACHLAN,

S. P. D.

Tibi, Amice care, has Paginas subjicio, admodum perito judicandi accuratæ sint necne. Diu vivas, et, in recessione, ea felicitate fruaris, quam plurimæ virtutes tuæ sunt emeritæ.—VALE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

DYSENTERIA

COMPLECTENS.

In Dysenteriam seligendo pro argumento sequentis dissertationis, nequaquam sum inductus spe aliquid momenti vel ejus historiæ, vel medendi rationi, proferendi. Attamen plurimæ mihi fuere occasiones morbum observandi, dum in Hispania et Lusitania medicinam faciebam, ita eundem hic descripsi, ut vidi, ideoque methodum tractandi dedi, quæ optime respondere reperta est.

In hoc tamen faciendo, in morbi historia, opinionibus inductus sum dissentire, quæ plerumque acceptæ sunt, in duabus rebus; nempe ad contagiosam ejus naturam, atque ejus rationem proximæ causæ. De prima harum, credo verba me facere fere omnium, qui nuperrime in hunc morbum attente inspexerunt; atque ad ultimam, alias sententias conatus sum proponere, quæ mihi videntur multo melius explicare rationem symptomatum, quam quas eximius CULLENUS protulit.

Nullus morbus quam hic, hominum attentionem plus vindicat, et eorum præcipue, qui in commune bonum civitatis volunt se dicare. Hujus enim impetum, sive in classe, sive in exercitu, homines semper admodum timere solebant; et ex fide præsertim ejus contagiosæ naturæ olim data. Quinetiam in bellis nuper gestis, quando talis fides nulla fuit, medicus primi nominis testatus est, eundem adferre exitium, atque periculosissimum esse, qui milites corripere possit, et his verbis utitur: " Dysentery was the disease which produced the greatest mortality in the army. In a table of diseases which terminated fa-

tally in the Peninsular Army, exclusive of the wounded, the mortality from dysentery appears to have been in the greatest proportion *."

DEFINITIO.

Cullenus dysenteriam his verbis definit: "Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes, mucosæ vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis; tormina, tenesmus." Hæc definitio morbum satis describit, sed an contagiosus sit adhuc manet dubium. Quibusdam fortasse in exemplis, revera contagiosus duci potest, si cum typhi signis præsertim conjungitur; sed rarissime, si unquam, ut solito in more se ostendit, æstate et autumno, a contagio, veluti causa excitante originem ducit. Joannes Pringle, Eques, qui primitius recenseri potest, inter eos de contagiosis viribus dysenteriæ contendentes, mihi videtur de re aliquid dubii habuisse, et ita loquitur: "It

* Sir James McGrigor, Med. Chirurg. Trans. vol. vi. p. 346–7.

is true, indeed, that this disease is not so catching as many others of the contagious kind, but whenever it has been epidemic, I have always found it in some degree infectious, especially in military hospitals, and among the poor, who want the means of cleanliness*." His verbis, occurrisse intelligitur, ubi ægri multum constipantur, et negliguntur aër purus et munditia, quæ ipsa satis habentur contagium gignere. SYDENHAMUS de ejus vi contagiosa nunquam loquitur, et WILLISIUS, qui eundem vidit morbum epidemium, quem SYDENHAMUS describit, contagiosum esse negat. Porro HEBERDEN ita dicit, "he had seldom seen two cases in the same house †," quam observationem facit, veluti rem singularem, quia persuasum est illi, morbum de quo agimus, quodam in gradu aliquid contagii in se continere: creditur vero mihi, omnes quibus occasio nuper fuit morbum conspiciendi in exercitu maximam facientem stragem, haud putare eum contagiosum. Ad hoc confirmandum, verbis uti licet Doctoris FERGUSON: "Every regimental surgeon who

* Sir J. PRINGLE "On Diseases of the Army," p. 236.

† HEB. Comm. p. 153.

has served a campaign, or surgeon of a militia regiment, who has been in an autumnal encampment on any of the downs of England, knows well, that, however practicable it may be, through an undue accumulation of sick, and neglect of cleanlines and ventilation, to propagate a typhoid contagion under the leading form and features of dysentery, ulcer, pneumonia, &c., dysentery itself, under all ordinary circumstances of accommodation, is no more an infectious disease, than hæmorrhoids or catarrh *."

HISTORIA MORBI.

Diu observatum est, hunc morbum iis regionibus, et sub ea tempestate anni sæpissime urgere, in quibus vitia organi bilem secernentis frequentius accedunt; atque sunt, qui ex eadem causa eorum originem trahunt. Annon hoc sit, haud certum. Quamvis enim utrique morbi sub iisdem temporibus sint epidemici et frequenter con-

---

* Med. Chir. Trans. vol. viii. p. 118.

jungantur, adsunt tamen quoque omni mense dysenteriæ exempla, et sæpe sine ullo bilis fluxu insolito.

Dysenteria dividi potest in duo stadia, in Acutum nempe, ac Chronicum. Hæc divisio ex arbitrio omnino pendet, sed ad medicum usum maxime confert; quippe quanquam chronicum sit sequela sive continuatio, in forma minus urgente, acuti stadii, tamen medendi ratio in singulis maxime distat.

Hunc morbum frequenter antecedit diarrhœa mucosa, aut biliosa, qua unum alterumve diem perstante, signa omnia gradatim ingravescunt; desiderium dejiciendi frequentius fit, plusque urget cum dolore, molestis torminibus. Parcæ nunc sunt dejectiones, quæ ex albido, vel sanguinolento muco constant, et cum naturalibus fæcibus vix commiscentur. Jamjam febris accedunt signa, qualia, horrores cum calore alternantes, anorexia, nausea, lingua albida, sitis magna, frequens ac durus pulsus.

Hæc mitissima morbi forma dici potest, sed neglecta re, facile in pejorem ac periculosam transit. Hanc plerumque comitantur fere omnia py-

rexiæ signa solita, veluti languor, lassitudo, defatigationis sensus, cum doloribus circa lumbos atque extremitates, frequentes rigores, capitis dolor, et vomitus materiæ biliosæ. Queritur nunc æger de siti inexplebili, abdominis dolore, qui plerumque ad cursum coli refertur, aut manet fixus in imo abdomine. Hic dolor interdum remittit, sed rarius intermissio in toto observatur, et quidque doloris incrementum conjungitur cum desiderio dejiciendi et magno renixu; sed parcæ sunt dejectiones, quæ ex sanguine aut sanguinolento muco constant. Hac quidem naturales rarissime conspiciuntur, et quando evacuantur, faciem induratarum fæcum induunt.

Vomitus sæpe perstat, tenditque præcipue vires ægri exhaurire; augetur quoque capitis dolor, anxia est respiratio, cum arida cute. Obducitur lingua cum subalbida re, admodum urget sitis, et pulsus frequens, validus et durus.

Morbo progrediente, desiderium dejiciendi frequentius fit, et renixus et tenesmus adeo urgent, ut ægrum fere perpetue cogant locum dejiciendi capessere. Dejectiones quoque variant, dum durat morbus. In quibusdam casibus, evacuatur

sanguinolentum, interdum portionibus *substantiæ membranacæ* commistum. In aliis, admodum fœtent evacuationes, et ex aquosa materia, sive ichore tenui constant, lavationes carnis referente, atque adeo acres, ut sæpe anum et nates erodant, itaque miseri ærumnis multum addunt.

Renixus perpetuus aliud signum valde molestum infert, nempe imi intestini protrusionem, quæ magnam molestiam morbo progrediente ægro inducit.

Dysenteria Acuta desinere potest tribus modis; nempe,

I. Resolutione, sive statu, quo subito redit corpus in pristinam valetudinem.

II. Morte, *ex gangræna* superveniente.

III. Chronico morbi stadio, in quo, vel e mitiori morbi natura, vel remediis adhibitis, finis lethalis est evitatus, sed partes affectæ læsionem magnam subierunt.

Resolutio expectanda est, ubi non modo febris, abdominis dolor, et tenesmus gradatim cedunt, sed dejectiones quoque minus frequentes fiunt, magisque naturales, et earum admistio cum

sanguine maturius abit. Porro, ubi tardior et mollior evadit pulsus, humiditas lenis per cutem universi corporis diffunditur, cum lingua nitida sitique cessante.

Gangrænæ accessus signis dignosci potest, quæ remediis adhibitis haud cedunt, sed in pejus mutantur; ubi *æqualiter per abdomen extendit dolor*, qui lenissimo tactu augetur. Præterea, accedunt vomitus perpetuus, inquietudo magna, et vultus anxius, quasi ærumnæ gravis patiens. Delirium quoque citius sequitur, collabitur vultus; abdominis dolores subito cessant; sudores frigidi supra frontem erumpunt; singultus accedit; debilis et abnormis fit pulsus; alvus et urina sine voluntate redduntur; frigescunt extremitates; corpus male olet, et mors e vita miserum eripit.

Chronicum stadium indicatur febre et signis plus urgentibus, gradatim abeuntibus, dum perstant frequentes dejectiones et tenesmus, cum reditu doloris plus minusve vexantis sub unaquaque dejectione. Constant evacuationes ex muco aquoso in minima copia, vel inter quosdam pure cum sanguine misto, vel rebus membranaceis. Prolapsus ani nunc sæpe gravem molestiam ægro

infert, frequenter haud reduci potest, tam ex sphinctere ani partem protusam constringente et sanguinis venosi redditum impediente, quam e frigore, cui pars exponitur, ob tempus longum tenesmo miser cogitur sedem capessere.

Quidam in hoc stadio miserandam producunt vitam, hebdomadis vel mensibus, et demum moriuntur febre hectica exhausti; dum alii, in quibus morbus ejusque sequela minus sæviunt, idoneis remediis adhibitis, gradatim in sanitatem, quamvis tarde, redeunt.

INSPECTIO CADAVERIS.

Qui maturius moriuntur hoc morbo, in iis, secto cadavere, fere eadem patefiunt, quæ ex enteritide invenire solent post mortem; qualia *inflammatio,* ulceratio, gangræna, *et effusio in saccum peritonœi.* Partes, quæ valde vitiantur, plerumque esse observantur colon et rectum.

In iis vero, qui ex eodem morbo serius pereunt, morbidæ res in colo et recto fere omnino se ostendunt, quantum saltem ad intestina attinet.

Plerumque observantur in his partibus affectis, densa canalis contractio; structura mutata; hic et illic internæ superficiei ulceratio, et maculæ gangrænosæ. Interdum membrana interna nunc flocculentam, nunc gelatinosam, quasi nitentem, speciem induit. In longis casibus, rectum apparet scirrhosum, maxime eroditur ejus interna superficies, quæ in quibusdam fere penitus aboletur. Alia viscera haud raro vitia varia subeunt, sed, num e dysenteriæ impetu oriantur, dubium est.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quædam anni tempora, veluti æstas et autumnus, maxima pollent vi morbum inferendi; in castris præsertim, in quibus plurimos eodem tempore adoritur; inde una ratio fortasse patet, eum olim creditum esse valde contagiosum. Putrida effluvia, vel e paludibus, vel rebus animalibus ac vegetabilibus putrescentibus, orta; cibus insalubris, et quæcunque corpus debilitent, veluti defatigatio magna, alimenti idonei defectus, intem-

perantia omnigena, morbi prægredientes, inter causas dysenteriæ rite recensentur. Frigus, tamen, cum humiditate conjunctum, maxime manifeste habetur morbi causa excitans.

In his regionibus, in quibus dysenteria epidemice sævit certis temporibus, admodum calent dies, noctesque, e profusis roribus nocturnis, frigescent. Milites, cum longa in die itinera fecissent, defatigati, quibus paululum cibi ad famis desideria sedandum est apti; atque omnia cutis foramina patent ob magnam perspirationem, ad morbum præcipue redduntur proclives. Humi enim decumbunt, parum a frigore humido defensi; citius dormiunt, at multi mane surgunt dolore abdominis affecti, ac alvi fluxu, quæ paucis in horis confirmatum morbi stadium inducunt. Hoc omnibus quotidie patet, qui castra secuti sunt.

Frigus agere videtur, perspirationem obstruendo, quæ, in die, profuse fluxerat, et ita sanguinem repellendo, et hoc modo congestio et inflammatio in internis partibus inducuntur.

CAUSA PROXIMA.

Cullenus illustris dysenteriam putavit a spasmodica coli contractione pendere; cui rationi apparet adduci, colon constrictum observando secto cadavere; atque redditæ fæces induratæ, in forma pilarum sive scybalorum. Sed mihi videtur dysenteriæ phnæomena multo melius explicari posse, assumendo intimæ tunicæ coli et recti inflammationem, tanquam ejus proximam causam, et constrictionem, sive augustiam generalem horum intestinorum, veluti effectum hujus inflammationis. Hanc adesse ab initio ipso morbi probatur, e magno levamine, quod in gravioribus exemplis sanguinis missio infert, atque tunica coriacea, quam *sanguis ipse* ostendit. Dici quidem potest, potissimum remedium in spasmo esse sanguinis missionem. Sed opium, quod ad venæsectionem proximum fortasse tenere potest locum, tanquam remedium in spasmis, adeo inutile est, in primo stadio dysenteriæ, ut plerumque valde nocivum habeatur. Præterea, si a spas-

mo originem ducat, inferiora intestina majora inflammatione adeo in toto haud debent corripi, atque minora fæcibus maxime infarciri oportet, quod rarius, si unquam, accidit.

Porro, valde improbabile est, ut tam longam portionem intestini, quam a capite cæco coli ad anum, unquam inveniremus spasmodica constrictione affectam. His jam dictis, credere potius inductus sum, morbi causam proximam esse, intimæ sive mucosæ tunicæ coli et recti inflammationem, quæ perstans, crassitudinem, atque morbidam contractionem eorum canalis, *per interstitia lympha effusa*, inducit; internas quoque superficiei ulcerationes, atque in gravioribus casibus, gangrænam horum et aliorum intestinorum abdominis.

Hic conspectus rei, mihi videtur, cum causis excitantibus jam dictis, consentire rationi quoque medendi, quæ optime respondet in morbi curatione. Ratio symptomatum spasmi doctrina omnino inexplicabilis fuit; sed facile absolvitur, inflammationem sumendo, tanquam proximam causam.

Res enim notissima est in pathologia, mucosas membranas ex inflammatione copiosius secernere, quam in sano statu, hasque secretiones frequenter a naturalibus multum mutari ; veluti Schneiderianam in gravi catarrho ; conjunctivam in ophthalmia purulenta ; atque membranam urethræ in gonorrhœa. Hinc quoque magna copia mucosarum et muco-purulentarum dejectionum in hoc morbo pendet.

Hæ etiam membranæ tument inflammatione perstante, aut crassæ fiunt per interstitia deposita lymphâ. Inde per nares in catarrho spirare vix possumus, atque multum tumet quoque conjunctiva in purulenta ophthalmia, et urinæ rivulus in gonorrhœa etiam minuitur. Exinde etiam coli et recti contractio crassa in dysenteria oriri potest. Pars vero hujus contractionis, sine dubio, fibrarum muscularum irritabilitati morbidæ tribuitur; sed hæc est effectus, at haud causa inflammationis.

Quinetiam bene notum est, harum membranarum sensum multo augeri, inflammatione præsente. Huc dolor magnus transitu scybalorum vel aliarum fæcum inductus, per inflammatam sive abra

sam canalem plane spectant. Tenesmus ad auctam irritabilitatem facile refertur, aut ad similia signa, quæ morbidam aut inflammatam comitantur vesicæ tunicam internam, quando in eadem impactus est calculus, aut illic tendit inflammatio ex urethra.

Ita omnium signorum prominentium ratio, me judice, satis reddita est, præter sanguinolentas dejectiones, quæ, opinor, ad quædam vasorum extremorum rupta, in affecto intestino, facillime referri potest.

CURATIO MORBI.

Ex ratione, quam dedimus symptomatum morbi, ea remedia, quæ, vi maxima reperiuntur, pollere inflammationem sistendi, optima esse debent in eodem tractando. Ita res se habet. Ideoque sanguinis missio larga et repetita, optimos reperta est in experientia propria effectos inducere, eandemque necesse erat repetere, quamdiu dolebat abdomen premendo, aut fæces cum sanguine miscebantur. Quin et larga sanguinis detractio

instantem intulit cessionem doloris et tenesmi, et cum leni purgante conjuncta, morbum ab initio satis potuit sistere; et priusquam intestina ullam subiessent læsionem: adeo insigne præbuit levamen, ut ipsi ægri anxie peterent eandem repetere. Idcirco, ineunte dysenteria, in liberum usum scalpelli vix nimis insistere possumus, quippe e nostris conatibus, hoc tempore, vita ægri dicatur pendere.

Deinde purgantia inter remedia proximum tenent locum: et hæc sæpius adhibita, præcipue erant lenis et minus stimulantis generis: qualia, sales medii, oleum ricini, &c. Hæc in divisis dosibus, quaque secunda aut tertia hora, ægris administrabantur, qui eodem tempore, magnos haustus biberuunt alicujus diluentis potus calidi, veluti aquæ hordei aut decocti avenæ.

Fomenta calida, quoque, abdomini applicata, multum levaminis præbuere, et balneum tepidum, cum fieri potest, eximium intulit auxilium.

Emplastra vesicatoria abdomini effectus optimos induxerunt, cum evacuationes haud parcæ jamjam redditæ fuerint.

Amyli injectiones, mucilaginis, aut juris, quibus singulis addita est tincturæ opii drachma, his casibus multum profuerunt, in quibus dolor et tenesmus urgebant: aut extracti opii grana duo vel tria, in rectum indita, eundem habebant effectum in irritatione minuenda. Opium per os, morbi ab initio nequaquam adhiberi potuit, sed, cum prius factæ essent evacuationes, adeo ut minuatur phlogistica diathesis, potentissimum remedium, ubi præsertim cum ipecacuanha conjungitur; sedando dolores ac irritationes, et diaphoresin eliciendo, quæ semper signum admodum faustum existimabatur. In provecto morbi stadio, maximi pretii factum est in signa extenuando, ac levando, quæ maxime urgebant, cum remedia alia prodesse cessassent.

Hoc modo, morbus in finem faustum frequenter deductus est, ubi satis mature conspecti sunt ægri, et res adeo accommodatæ erant, ut conatibus medici faverent. Sed infeliciter sæpius accedit, frigoris, et aliarum rerum effectus, haud præcaveatur, cum æger brevi tempore e vita eripitur vi morbi, aut id malum, post frequentes relapsus, in stadium chronicum transit.

Quod maxime prodesse reperiebatur in hoc morbi stadio, remedium erat in parvis dosibus hydrargyri submurias, cum opio conjunctus; qui repetitus est quaque tertia aut quarta hora, adeo ut gingivas leniter afficiat. Adhibitus est quoque multo fructu, simpliciter cum ipecacuanha; aut, quod melius erat, cum opio contritus, veluti Pulv. ipec. comp.

Difficile est dictu, quo modo calomelas agat, num in ipsis intestinis, aut per constitutionem corporis, ex ejus effectibus notis, hepatis, et viscerum aliorum, vires proprias revocandi, cum morbida sunt; sed quacunque via agere possit, præcipium est remedium, et cui soli fidem damus in chronica dysenteria.

Injectiones ex opio adhibere, nec non abdomen arcte circumdare panno laneo, multum prodest.

Administrabantur medicamenta astringentia, qualia, potio cretacea cum opio; et multum boni intulerunt in quibusdam casibus, qui pro longo tempore durabant, et cum fluxum oriri manifestum fuit ex acribus secretionibus intestinorum.

Tardissime convalet æger, ejusque spes, ac expectationes medici, sæpissime irritæ factæ sunt,

redeunte morbo, quo nullus ad relapsum est proclivior; ideoque summa cura lenissimam irregularitatem diætæ, aut in aliis rebus, præcavere; atque frigus evitare, laneas indusias, et alia vestimenta idonea induendo, necesse est. Corporis robur, diæta nutriente sed leni, reficiendum; et intestina tonicis optime roboranda sunt. Usui vini caute indulgere oportet, quod optime respondet calidum cum aqua et saccharo mistum, Anglice " *negus*" dictum.

Qui in hunc morbum frequenter inciderunt, ad pristinam vigorem rarius rediguntur; concoctio cibi, ejusque assimilatio, male omnino perficiuntur; et lenissimo frigore, aut excessu, redit intestinorum fluxus, longum post abierunt omnia signa dysenteriæ.

FINIS.